

sumitur, ut patet Extra *De supplenda negligentia prelatorum* in VI. cap. *Grandi*⁹². Item anno Domini MCCLXXXIII Petrus Aragonensis regno privatur per Martinum papam, quia terras ecclesie, hoc est Siciliam, invasit et ipsam rebellari fecit⁹³. Sed de imperatoribus satis est manifestum de duobus primis superius nominatis. Apparet etiam de alio videlicet^l Henrico IIII.^m, quia Gregorius <VII.>ⁿ, eo quod sibi scisma procurasset circa annum^o Domini MLXXVI^p, ipsum *excommunicavit* et deposuit ac *omnes principes a iuramento^q fidelitatis absolvit*, ut Martinus scribit, et^r eo vivente alius fuit electus⁹⁴.

Patet igitur auctoritas sive potestas summi pontificis ex iure divino super omnes principes ratione delicti. Sed est aliud ius acquisitum ecclesie per collationem^s sive cessionem videlicet^t Constantini, de quo dictum est supra^u in primo titulo⁹⁵, quod positivum appellamus, licet ad dominium reduci possit. Et ex hoc incumbit sibi provisio et gubernatio totius imperii sicut cuiuslibet regis sui regni. Unde sicut reges possunt in suo regno propter rationem delicti aliquid immutare vel exigere, ubi incumbit utilitas sui regni evidenter, quod aliis^v non licet, puta de talliis imponendis et aliquibus aliis gravaminibus sui populi sive suorum^w subditorum, quod, si aliter fiat, condemnantur per sententiam Augustini *De verbis Domini*⁹⁶, et est causa XXIII quest. <I>^x cap. *Militare* circa finem, quia suis tributis et vectigalibus debent esse contenti, aliter autem non rectores sed raptores vocantur⁹⁷. Secundum igitur hanc considerationem, cum gubernatio imperii ex summo ponti-

l) erg.: de L. m) III V₁ V₂ V₃ L. n) VIII P V₁ V₂ V₃ R L. o) annos
 P p) MCCLXXXVI V₁ V₂ V₃ R L. q) iuramentis V₁ V₂ V₃ L. r) ut V₂.
 s) successionem V₂. t) *fehlt* V₁ V₂ V₃ R L. u) *fehlt* V₃. v) alias V₂ V₃
 L. w) eorum V₁. x) II P V₁ V₂ V₃ R L.

92) *Liber sextus* (wie Anm. 4) I 8 c. 2, 2 Sp. 972 ff. Vgl. *Historia ecclesiastica nova* (wie Anm. 2) XXII 4, S. 548 Z. 17-20.

93) Vgl. *Annales* (wie Anm. 3) (B) S. 200 Z. 8-13. Vgl. auch *Historia ecclesiastica nova* (wie Anm. 2) XXIV 10, S. 620 Z. 20-23.

94) *Martin von Troppau, Chronicon* (wie Anm. 9) S. 467 Z. 46 - S. 468 Z. 3, S. 468 Z. 36f. Vgl. *Annales* (wie Anm. 3), S. 16 Z. 21-25.

95) Vgl. auch *Tholomeus, De regimine principum* (wie Anm. 73) III 10.

96) *Pseudoaugustinischer Sermo* 82 (= *De verbis Domini*) c. 1, MIGNE PL 39, Sp. 1904. *Tholomeus* hat den *Sermo* nicht unmittelbar benutzt, sondern den Verweis auf *Augustin, De verbis Domini* im Titel von *Decretum Gratiani* (wie Anm. 4) C. 23 q. 1 c. 5, 1 Sp. 894 gefunden. Vgl. auch *De regimine principum* (wie Anm. 73) III 10, wo *Tholomeus De verbis Domini* zitiert.

97) *Decretum Gratiani* (wie Anm. 4) C. 23 q. 1 c. 5, 1 Sp. 894.